

distantiam, eam corpulentiam, exhibent, quâ minorem Cometa nequaquam habuisse videtur. Et cum utraq; adhuc satis magna fit, suppeditatur hoc ipso nobis argumentum in subsequen-
tibus demonstrandi, quod hic Cometa (& proinde procul dubio alii) nequaquam aëreus fuerit, sed in ipso æthere exstiterit, adeo-
que de communi rerum ætherearum naturâ participaverit.

CAPUT XX.

DE NATURA COMETARUM IN GENERE.

Hactenus in specie de Cometâ novo. Jam ὕστερον προτέρων commissurus in genere de Naturâ Cometarum paucula quædam quæ notatu digna videbuntur subiciam. De naturâ Cometarum quid veteres statuerint, malo Plutarchi quàm meis proponere verbis, qui l. 3. de plac. Philos. C. 2. inquit: *Nonnulli Pythagora alumni Cometam esse ex illorum numero, quæ non perpetuò visuntur, sed stato tempore in orbem recurrente aperiuntur: Alii visus nostri ad Solem percussum simulacri modo specularis; Anaxagoras, Democritus, stellarum binarum vel plurium inter se mutuò collustrantium coitum. Aristoteles concretionem aridæ respirationis ignitam. Strabo sideris lumen densâ circumjectum nube, quemadmodum in facibus fit. Pontius Heraclides nubem sublimem, à sublimi illustratam lumine. Similem causam affert Pogonia, id est barbata. Alii trabem, calamum, & quæ his affinia sunt, ut sanè tota Peripateticorum natio in nubis eodem modo configurationibus. Epigenes spiritum terrenum, qui supera petit ignescentem: Boethus aëris laxi speciem. Diogenes Comatas esse stellas. Anaxagoras micantes, quæ dicuntur, ab æthere scintillarum modo delabi, ideoque confestim extinguuntur. Metrodorus violentam in nubem Solis impressionem scintillare. Xenophanes ejusmodi omnia nubium ignitarum coagmenta, vel motiones esse.* Hactenus Plutarchus de veterum opinione. Moderni Philosophi à placitis veterum nonnihil discedentes Cometam dicunt esse *Phænomenon insolitum, quod ex pellucidâ & alicubi densescente Cæli substantiâ genitum in æthereâ regione motu quasi planetico ad tempus progreditur, comam in locum Soli oppositum protendens.* Quæ sententia, uti verior, ita paulò fusio-rem meretur ex-